

847 326
VLC

DISSERTATIO
INAUGURALIS CHEMICO-MEDICA,
DE
CALCULO URINALI,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS, SPECTABILIS DOMINI
DECANI AC CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM,

PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA

IN ALMA AC CELEBERRIMA R. S. UNIVERSITATE PESTIENSI PUBLICAE
DISQUISITIONI

SUBMITTIT
SIMEON AUSTERLITZER.

(Theses adnexae publice defendantur in Palatio Universitatis
majori die 26 Novembris 1831.)

PESTINI,
TYPIS LANDERERIANIS.

Dr. SCHEDEL,

LIBRARY
ADICEMUS LIBRARIA
M. ACADEMIA
KÖNYVTARA

STATIOTODA. TA. GEVÉRTÓ

MINŐS KÖNYVHÁZ

KINŐD ÖLVÍTŐSZA. RÉSZ. TÖM. TA. KÖNYVHÁZ
RÉGIÓKÖNYVHÁZ. KÖNYVHÁZ

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Hac ego contentos anguror esse Deos.

Ovid. de Ponto Cap. III.

LIBRARY
KÖNYVHÁZ

VIRO
PERILLUSTRI CELEBERRIMO
MAGNIFICO DOMINO
MICHAELI A LENHOSSÉK,

MED. DOCT. SACR. CAES. ET REG. APOST. MAJEST. AD EXCELS. CONSILIU-
UM REGIUM LOCUMTENENTIALE HUNGARICUM A. CONSILIIS, I. REGNI
HUNGARIAE PROTOMEDICO, FACULTATIS MEDICAЕ REG. SCIENTIAR.
UNIV. PESTIENSIS PRAESIDI, ET STUDII MEDICO-CHIRURG. DIRECTORI,
I. R. SVECICI ORDINIS VASA EQUITI, FACULTATIS MEDICAЕ CAES. UNI-
VERSITATIS, ET CAES. REG. ACAD. JOSEPHINAE MEDICO CHIRURGICAE,
VIND. SOCIETATUM ET ACADEMIARUM R. BRITANNICAE, GÖTTINGENSIS,
ERLANGENSIS, R. NEAPOLITANAE, BEROLIENSIS CAES. PETROPOLITA-
NAE etc. MEMPRO, PLURIUM TT. COMITATUUM TABULAE JUDICIARIAE
ASSESSORI etc' etc,

VIRO

SCIENTIA MERITIS INSIGNI,
NATURAE INDEFESSO OBSERVATORI,
SUPREMO SALUTIS GENTIS HUNGARICAE VIGILI,
PRINCIPI CIVIBUS CARO.

IN

PROFUNDÆ VENERATIONIS TESTIMONIUM
PIA CUM DEVOTIONE
HOC SPECIMEN INAUGURALE

SACRAT

AUCTOR.

§. 1. *Urina* est latex per renes secretus, per genitilia animalium altiorum excretus, oxydata plurima e corpore evehens: aquam, acida, salia; post pastum vero simul azoum superfluum, forma Urei ejiciens. Excreta certo copiosissima sunt Carbonium excessivum per pulmones, Azoum (penes oxydata vehicula) per renes, Carbonium, et Azoum cum Phosphoro et Sulphure per intestinum.

§. 2. *Qualitates* physicae Urinae recentis sunt: forma liquida guttans, pelluciditas, color dilute flavescens, odor proprius juris animalis recentis (ad observationem Proustii leviter violaceus; post refrigerationem primum evolvitur notus odor urinosus vocatus), sapor salsus (amarum esse ingratumque assertit Proust), gravitas specifica 1,020 ad W. Henry, 1,0125 ad Proust.

§. 3. *Constitutio Urinae* hominis sani sequente sistitur tabula, ad Berzelii investigationem, subjuncta simul constitutione Urinae equinae et vaccinae,

Urina hominis sani, secundum Berzelius.	Urina equi, sec. Fourcroy et Vauquelin.	Urina Vaccae, secundum Brande.
Aqua 933	Aqua et muci . 940	— — — — —
Urei 30,10	— — — . 0,007	— — — — — 4
Sulfatis Kali . 3,71	— — — — —	— — — — — 6
Natri 3,16		
Phosphatis Natri (2,94)		
Ammonii (4,45)		
Muriatis Natri 1,65	Mur. Kali . . . 0,009	Mur. Amm. et Calc. 15
Ammonii 1,50		
Phosphatum terreorum cum Fluorato Calc. . . . 1,0		Phosph. Calc. 3
Acidi lithici . . . 1,0	Carbonatis Natri 0,009	
Silicae 0,03	Calcar. 0,011	
Salivinae, Osma-(, zomi, Acidi la-(, etici et Lactatis(, Ammonii (17,14	Benzoatis Natri 0,024	
Muci 0,32		
1,000		
Albumen adest interdum, uti in urina aegrotorum, quae hinc facile in putredinem vergit, (Prout) copiosum in seminarum urina lactescente, quae caseum praebuit, copiosior in viduis junioribus et in ablactantibus.—Praecipitatur id per acidum Nitricum, Tannum, et Mercurium sublimatum corrosivum.	Albumen, et Carbonatatem Magnesiae notat Chevreul; Benzoas Natri variat, imo abest ad Giese imo acidum hoc est diversum a benzoico, ad Liebis. Acidum phosphoric. notat Giorbert. — Ureum adest, nam cum acido nitrico absque inspissatione dat crystallos nitratis Urei, ad Prout.	Albumen, Kali sulfuricum, — muriaticum, — benzoicum, — carbonicum, Notat Rouelle Gravitalis 1,003 usque 1,029 Odoris est foeni.

Gelatina pars est Urinae humanae dubia.

Mucus in urina hominum sanorum paucus adest, sensim se in sedimentum componens (Berzelius), copiosior in catarrho vesicæ, virescens.

Resina mollis, (weichharz) juncta Ulmina, (Moder) ad investigationes Proustii causa est coloris, odoris, saporis.

Pingve adest post cibos pingves copiosos assumtos, urinam sistens turbidam.

Sulfas Kali dejicitur per Muriatem Barytis in sedi-

mentum, e quo Phosphas simul dejectus redissolvitur, acido muriatico.

Murias Kali quantitate eadem adest, qua sal Ammoniacus, sensim distillato paucō acido tartarico se exhibens (Proust).

Phosphas Natri et Ammonii adest qua Sal duplex, (excessu Phosphatis natri secundum Proust) sistens Salem Urinae nativum, olim Salis microcosmici nomine notum: revera Biphosphas Natri et Ammonii.

Phosphas Magnesiae in majori ad *Phosphateum Calcariæ* adest proportione, quam quae ossa constituit (Berzelius).

Carbonas Calcariæ.

Acidum lacticum Berzelii est aceticum Proustio et Thenardo, nam urina cum paucissimo acido sulfurico destillata dat acetum (Proust), et extractum urinae spirituosum cum Baryte saturatum, spissatum et Alcohole disjunctum separat Acetatem Barytae (Thenard). Salibus adeoque accedit *Acetas* (Lactas) *Natri*.

Acidum lithicum praecipitatur additis acidis aliis, mora longiore, inspissatione, vel tritu parietum vasis citius (Wetzlar): videtur productum esse aegritudinum ad Coindet. Adest autem vel liberum, vel qua Biuras Ammonii (Natri et Calcariæ).

Acidum roseum huic proxime accedit.

Acidum benzoicum in urina humana invenit Scheele interdum solum adesse observarunt Fourcroy cum Vauquelinio et Wetzlar, praecipue in urina infantum; nunquam invenit Proust. An non ciborum assumtorum sit pars tardius excernenda quaeritur. Ex urina inspissata praecipitatur per acidum muriaticum.

Acidum sulfocyanicum ex urina, aut ejusdem extracto spirituoso cum acido phosphorico destillato separatur, muriatam Ferrici rufans (Gmelin).

Acidum Carbonicum ex urina sub antlia pneumatica evolvitur (Proust, Vogel),

Sulphur (an qua pars coëfficiens acidum hydrothionicum, vel sulfocyanicum?) vasa enim argentea ad urinae inspissationem adhibita sensim denigrantur (Proust).

Ferrum e sedimento urinae separavit Wurzer.

Abnormes certo sunt partes: mucus in catarrho ves-

cae, pus (post apertum abscessum pectus penetrantem observatum), sangvis in hydrope scarlatinae posthumo, butyrum, acidum liberum, quod sulfuricum supponitur esse a Prout, alcali liberum, et Salia copiosa terrea: urina enim turbido lactescens saepe evenit, praecipuam in senioribus copiam Phosphatis calcariae (ossa!). Refert Prout casum, in quo Phosphatis Magnesiae Ammonicalis, simulque crystalli aciculares tanta excernebantur quantitate, ut aer ger brevi tempore a pondere 183 librarum ad pondus 100 librarum decreverit.

§. 4. *Urina missa recens indolis est acidae*, rufat enim chartam Lacmus, et Raphani sativi. Natura acida dependet 1-o secundum quosdam ab acido lacticō, libero, vel potius, ad mentem Proutii, a ligato acido phosphorico, nempe ab Ammonii et Natri phosphorici parte in statum Biphosphatis elevato (ex hae solum idea etiam explicari poterit phoenomenon, quod Phosphas Calcariae, alias aqua non solubilis, in Urina in liquidam guttantem subintraverit solutionem). 2-o Etiam acidum uricum aequē cum Ammonio (Natro st calcaria) adest, qua Biuras, Lacmus rufans, hinc is nec Biphosphate Ammonii decomponitur (Prout), imo Phosphas Ammonii per acidum uricum partim decomponitur.

Refrigeratione ex Urina secedit in vasis continentis fundum Mucus vesicalis maxima sui parte, imo decompositus? cum acido urico, quod sistit crystallos rubras Biuratis Amonii, cum pauciore Urate Natri (Berzelius). Urina ad thermometri R. gradum 0 turbatur, sensim deponit floccos flavos, aut coloris carnei, quae quavis calefactione redissolvuntur (Wetzlar). Sedimentum salinum urinae est Biuras Ammonii, Natri, Calcariae et Ferrici, cum pauco Phosphate Calcariae.

Evaporata in spatio vacuo urina copiosum dimittit pulverem Biuratis Ammoniae (Prout); evaporata et refrigerata dat crystallos copiosas salis microcosmici-Phosphatis Natri Ammoniacalis (sal nativus Urinae, schmelzbares Harnsatz), praecipue si ope alcoholis praevie separatum fuerit Ureum.

Destillatione transmittit in vas excipiens Spiritum Urinae: Carbonatem et Acetatem Ammonii, obortum ex Ureo decomposito.

Putredo Urinam plane decomponit. Dependet tamen ingressus ejus a partium animalium praesentia, ab aëris influxu et temperatura. Nam vasis plenis, clausisque longe asservatur, sine putredine (Proust, Gay-Lussac); nam ex aëre attrahit Oxygenium et fermentat, imo si aëris clausi Oxygenium omne absumsit, putredo quoque cessat, nec ulterioris progreditur (Gay-Lussac). Urina putrescit eo citius, quo plus tenet muci vel albuminis, quo altior est temperatura. — Decomponitur hac operatione utplurimum Ureum, quod tres efficit centesimas partes. Odor mutatur initio in eum lactis acescentis, dein vero fit foetidus, alcalescens, seu ammoniacalis. Quae hactenus in acido lacticō libero soluta fuerunt, excidunt, Phosphas nempe Calcariae et Magnesiae, qua Phosphas Calcariae et Phosphas Magnesiae Ammoniacalis, cum ex Ureo obortum Ammonium Acidō subigendo plus quam sufficit.

Urina putrefacta tenet 1-o Ammonium unitis acidis pluribus: acetico, (lacticō!), benzoico, phosphorico, muratico, carbonico; 2-o Salia cetera non mutata; 3-tio Sedimentum mucus, cum Urato Ammonii, Phosphate Calcariae, Phosphate Magnesiae Ammoniacali pristinibus crystallisato.

Praecipitatio Urinae peculiaria inter laticis hujus phoenomena notanda est, quae per Salia plura, praecipue Ammoniacalia, contingit: muriate enim Ammonii Phosphate Ammonii ex ea praecipitatur Uras Ammonii, difficiliter solubilis (Gmelin).

§. 5. *Variat Urina* quantitate et qualitate, quarum utrarumque nexus summus est cum perspiratione cutanea, saepe oppositus, tamen etiam analogus. Generatim quantitas se habet in ratione inversa quantitatis perspirationis cutaneae. — Causae variationis sunt tempus diei, anni, ratio tempestatis, assumtorum ciborum, remediorum, individui aetas, constitutio, et morbi.

Tempus anni mutat Urinam: aestate et in regionibus calidis plus evehit Urei, minus acidi urici; hyeme et in regionibus frigidis plus acidi urici.

Tempus diei mutationes afferit praecipue per somnum et digestionem: matutino enim tempore Urina copiosissimas tenet partes fixas, saepe etiam acidum uricum liberum (Wetzlar); post digestionem finitam, horis 4—5 post

pastum copiosissimum separat Ureum (corpus basicum, volatile, quoad constitutionem Azoicum).

Tempestas influit praecipue humida, vel sicca.

Assumtorum certe ratio plurimum mutat urinam. Cibi animales augent copiam acidi urici (Magendie), assumta aquosa urinam separant copiosam, aquosam. Notus est influxus Rhei assumti in urinam flavo tingentem, Asparagi odoris putrilaginosi, Terebinthinae odoris violacei; Hydrargyrica assumta urinam sistunt spissiorem, lacteo turbidam, odoris ammoniacalis, quae nullum tenet Ureum, multum vero albuminis coagulati, imo et Oleum pingve.

Aetas infantum urinae favet excretioni, absque acido urico (Coidet), paucō acido phosphorico (Fourcroy) cum potiore vero benzoico, quo statum exhibit analogum Uri- nae jumentorum, (nisi Liebisii observatio, acidum hoc in equorum urina a benzoico distinctum esse, constabiliretur). Seniores sensim ossa mingunt sua, Phosphatem nempe Calcariae Magnesiaeque in sedimentum matulae copio- sum, album, pulvereum, grave (Cretae fere forma se sistens).

Morbi vero eum in gradum mutant urinam, ut mutationes hactenus dictae saepius observentur, sed et novae accedant gravissimae, hactenus non dictae.

Febres intermittentes franguntur aut saepe praependiuntur dimisso ad latera vasis fuco carmosinei coloris, rarius in fundum vasis pulvere crystallino lateritii coloris: acidi urici, quod excretum inter momentosissima criseos signa habuit propria dissertatione Tichy (de arenulis in loco reperiundis). — Sedimentum lateritium est acidum uricum, purpurinum, imo interdum acidum nitricum, Ammonio et Natro junctum.

Inflammationes disponunt urinam, cum sensu ardoris missam, pauciorem, graviorem, acrem, coloris rubri, absque sedimento; cum Mercurio sublimato corrosivo prae- cipitatum dat copiosum. Sub finem tamen morbi augetur copia, cum sedimento copioso, carnei coloris, quod acidum est roseum, cum paucō acido urico, et phosphate Calcariae.

In arthriticis ante insultum abest omne acidum uricum, praesentibus aut absentibus Salibus phosphoricis; sub crisi sensim comparere incipit acidum uricum.

Icterus urina comitatus est, pigmentum vehente pro-

funde flavo colore tingens hincum. Urina ab acido muriatico coloris fit virescentis, bilem praesentem notantis ex opinione Fourcroyi, et interdum analogon exhibit acidi flavi, e fibra carnea ope acidi nitrici oborti (Fourcroy et Vauquelin). Picromel tenere observat Orfila, plus Urei, minus Phosphatum, atque praecipitare Alumen (Tiedeman et Gmelin).

In hepatitide chronica urina observabatur pallida, parum sedimenti deponens, vix Ureum et acidum uricum tenens (Rose es Henry).

Hydropicorum urina a copioso albumine lacteo coagulatur calore et acidis; hydrops tamen a hepatis morbo originem trahens urinam sistit parcam, multum coloratam, absque albumine, sedimentum deponentem carnei aut fusci coloris.

Hysteriasis secernit urinam copiosam, limpidam, ex colore: dietim librarum 10 ad 12. Haec nullum tenet Ureum, aut gelatinam, copiosa tamen Salia inter quae muriatam Kali loco muriatis Natri (Peschier).

Diabetes insipidus urinam dat copiosam albidadem, coctione praecipitatum floccosum album dimittentem; eadem caret Acido urico et Saccharo, ad observata Chevallier, vel paucum tantummodo vehit Saccharum 5,5. ita, ut sapor salium praesentiam sapore suppressatur, cum fermento tamen in spirituosa transit fermentationem (Barruel).

Diabetes mellitus Saccharum parat. Urina in hoc morbo est copiosa: a 4 ad 20 dietim mensurarum, duplumque potulentorum ingestorum. Excolor est, vel pallida, pellucida, odoris est pauci, saepe lactis odoris analogi (Prout), saporis dulcis. Pigmenta cerulea parum, aut plane non rufat; Albumen adest paucum, Ureum paucissimum aut nullum. Abest omne acidum uricum. Gravitas 1,026 ad 1,050 (gravior sana). Salium praesentia non est mutata. Momen-
tosissima pars novitus accedens est Saccharum verum, cry-
stallisabile, interdum tamen minus (ad naturam mucosac-
chari transiens) imo quibusdam in casibus plane insipi-
dum. Fermentat haec urina pro se, aut addito fermento cerevisiae, sistens liquorem vinosum, tardius acescentem. Fermentatione aut nullam aut paucissimam producit Ammonium. Unam duodecimam plane Sacchari partem obtinuit Cruichshank; alii inspissatione ad 3 ad 11 procentum sic-

ei residui obtinuerunt. — Dum status aegroti ad sanitatem vergit, augetur quantitas albuminis, tardius urei, tandem acidi urici, urinaque jam acide reagit.

Rhachiticorum Urina multa vehit Salia calcaria, quae praecipue Phosphatem Calcariae esse putant, sed ad Bonhomme Oxalas est Calcariae, adeoque vegetationem supponere videtur in aegroto partim supparem ei, quae Diabeti adstat mellito!

Momentosam Proutii distinctionem *Diabetis in phosphoricum*, cui copia simul adest Urei, per acidum nitricum additum, absque spissatione, crystallisabilis, et *uricum*, cui nullum adest Ureum (cujus partes in acidum parandum inhibitae fuisse videntur). Chemicis modo momentosam, medicis post saecula fructuosam fore speramus.

Ureum et acidum uricum inter substantias animales summam tenent Azoi quantitatem, fermentatione et destillatione facillime copiosum Ammonium largientes videnturque excessum Azoi e sangvine animali auferre, prouti acidum carbonicum ope pulmonum excessum Carbonii. Videtur imo animatione basica disponi generatio Urei, acida acidum uricum.

	Ureum.	Acid. uricum.
tenet Oxyge.	26, 66	26, 67.
Hydrog.	6, 67	2, 22.
Carbon.	20, 00	40, 00
Azoi.	46, 67	31, 11.
	100, 00	100, 00.

§. 6. His praemissis facilior evadit notitia *calculorum urinariorum*. Chemia per Semisaeculum copiosorum laborum resultato sequentem horum classificationem sistere contendit:

1. Calculus uricus seu urolithicus.
2. Phosphas Calcariae.
3. Phosphas Ammoniae et Magnesiae.
4. Oxalas Calcariae.
5. Calculus urinarius fusibilis, e 2 et 3 compositus.
6. Stratose alternans.
7. Mixtus ex acido urico et Phosphatibus.
8. Siliceus.

9. Ex oxydo cystico constans.
10. Ex oxydo xanthico constans,
11. E Fibrina constans.
12. Carbonas Calcariae.
13. Benzoas Ammoniae.

§. 7. *Calculus uricus seu urolithicus* dicitur is, qui plurima sui parte constat ex Acido lithico. Henry e calculis vesicae 100, uricos invenit 38, 46, Brande 10, 66, Scheele Fourcroy et Vauquelin, atque Pearson plurimos calculos, vesicae hujus indolis esse invenerunt. Calculorum vero renalium compositio longe copiosior hujus est indaginis, cum Brande e 100 invenerit 88 constare acido lithico. Nunquam tamen merum ferunt acidum: mis nempe acidi accedit Ureum, et Albumen, quod tamen non glutinis instar ad cohaesione lapidis confert, cum haec ab acidi proprii crystallisatione dependeat.

Coloris est flavicantis, aut rubrofusci; superficie gaudet ut plurimum laevi, textura lamellosa ant fibrosa, particulis integrantibus arte coadunatis. Gravitas variat ab 1, 3 ad 1, 8. Solvit Alcalibus absque evoluto Ammonii, verum cornu fere adusti, odore.

Flammeae candelae admotus consumitur demum cum phosphorescentia, relicto cinere paucō, fortiter alcalescente. Sub tubo ferruminatorio odorem evolvens animalem in carbonem abit. Pars decima grani super tabula vitrea aut platinea, addita acidi nitrici gutta, leviter calefacta solvit cum effervescentia, dein sensim siccata exhibet pigmentum amoeni ruboris. Verum siccatione justo protractiore, aut acido urolithico pauciore praesente nigrum interdum sistit colorē. Tunc alia calculi pars acido nitrico soluta siccetur absque igne adhibito; tum vapor Ammonii e ochiali calcificato siccato admittitur mixto, quod ruborem sistet intensum, etiam guttula Ammonii caustici liquidi sistendum.

Acidum uricum deest in animalibus herbivoris; adest copiosius in hominum arthriticorum tosis, et plurimorum calculis urinalibus.

Lithas Natri, hujus speciei est varietas rarissima, in tumoribus arthriticorum communiter habitans. Sub tubo ferruminatorio sub evoluto odore animali empyreumatico de-nigratur, et nonnisi igne in longum continuato abit in cineres, fortiter alcalescentes, qui Silicam in vitri formam solve-

re valent. Nodos articulationum in arthriticis olim putarunt esse Carbonatem, dein Phosphatem Calcariae, donec Vollaston demonstrasset, esse Uratem Natri.

Lithas Ammonii, tertia calculi urolithici varietas, sub tubo ferruminatorio praecedentis instar se habet. Gutta Kali caustici addita in altiore temperatura multum evolvit Ammonium. Extus laevis, flavus, intus fuscus, concentrico — lamellosus, lamellis facile separabilibus per Phosphates separatis. Quo plus Ammonii tenet, eo dilutioris est coloris flavi. Existentiam puri negant Brande, Henry et Marcet; concessit Fourcroy, observavit Prout, et hinc systemati inuitit Brougnatelli.

§. 8. *Phosphas Calcaruae* (der Knochenerde haltige Bläsenstein). Superficie est laevis, glabrae, coloris dilute fusci, texturae est concentrico — testaceae, (ne quis dixerit lamellosam!), imo interdum strata in relatione ad superficiem perpendiculariter striata, ac si aciculae crystallinae (prisma) adpositione sua calculum composuissent. Sub tubo ferruminatorio sub evoluto odore empyreumatico animali de-nigratur, quin tamen fundatur; cum Natro intumescit, quin vitri subintret formam. Acido borico solutus, et paucō dein addito Ferro fusus globum sistit Phosphoreti Ferri (Phosphoreisen). Acido muriatico facile solvitur, et Ammonio exinde praecipitatur. Haec Vollaston.

Fourcroy et Vauquelin hanc speciem viderant albam, absque splendore, (cretae similem), fragilem, quae manu, panno, chartae attrita colorem conciliat; sub forcipe dissipit. Acido sulfurico diluto solutus Sal terreus relinquit gelatinam membranosa.

Huc spectat *Calculus glandulae prostatae*, a Vollaston examinatus, non quidem plane schistosus, a liquore glandulae excreto coloratus.

Phosphatem Calcariae Henry in 187 calculis solum 4 invenit purum seu 100: 2,13 sere. Purum tamen etiam invenit Vollaston.

§. 9. *Phosphas Ammoniae et Magnesiae* calculum silit album (adspctu Cretae), sub digitis friabilem saepe crystallis pyramidalibus prominentibus vestitum, e schistis sub-crystallinis constantem. Pulvis est candidus, saporis parum dulcescentis. Sub tubo ferruminatorio ustulatus Platino innixus odorem evolvit empyreumaticum animalem,

(imo interdum ammoniacalem) denigratur primum et intumescit, demum funditur in fluorem griseo-album, non plane vitreum. Minus fusibilem esse praesente Phosphate Calcariæ observat Berzelius, facile tunc fundi asserit Ure (Handwörterbuch der Chemie 282)! Cum Borace funditur in vitrum pellucidum, aut refrigeratione lacteo - album, cum paucissimo Natro in scoriam voluminosam albam, cum pluri non funditur, cum acido borico et Ferro in globum Phosphoreti Ferri, cum Nitrate Kobalti in vitrum profunde rubrum aut fuscum.

Brande observat hunc Salem biterreum omni tempore peregrinis cum urina in contactum devenientibus se adponere: uti instrumentis urinam e vesica deplentibus (forma crystallorum regularium), peregrinis in vesica urinaria formatis, aut ad eam delatis, quae tunc nucleum sistunt originarium calculae vesicalis. Fourcroy et Vauquelin opinionis erant depositionem hanc seu pulveris, seu crystallorum, vera incrustantium, originem trahere ex urina fermentatioris seu putredinis (in vesica) initium subintrante. Etsi assertum in dubium trahi possit, id tamen ultra dubitationis aleam eminet, Phosphatem hunc biterreum ex urina jam missa, sub decompositionis stadio primo, copiose secedere. — Aqua suscipitur quantitate parca; facile solvitur acidis: acetico, nitrico, muriatico; imo sulfurico excessivo pro parte. Non solvitur Alcalibus.

Phosphas hic rarissime purrus est: Brande, qui 150 calculos vesicae investigavit, solum duos observavit: superficie crystallina, fractura sublamellosa. Idem observavit Henry, qui tamen in collectione Whitei vesicalem calculum reperit in 100 partibus ultra 90 Phosphatis Ammoniae et Magnesiae continentem. Idem observator proportionem Phosphatum terreorum (tam Phosphatis Calcariæ, quam Phosphatis Ammoniae et Magnesiae) inter 100 calculos invenit esse solum 11,86.

§. 10. *Oxalis Calcariæ*. (Der Maulbeerbläsenstein) superficiem habet profunde fuscum, in rubellum, declinantem; rarius est dilute fucus, tuneque simul texturæ crystallinae, superficie octaedris depressis exasperata. Gravitas est 1, 4 ad 1, 98: densitatis ac duritiei communiter ejusdem, quae ebori est. Serra scissus evolvit odorem seminis humani. —

Sub tubo ferruminatorio primum evolvit odorem uri-

nosum colorisque fit profundioris, demum laetioris. Incandescentia rubra relinquit residuum cum acido nitrico effervescentis (carbonatem Calcariae); incandescentia vero fortiore protractiore relinquit calcariam causticam, quae cum aqua sistit phoenomenon extinctionis, et pigmenta vegetabilia mutat alcali fortis instar (Phosphas Calcariae tale residuum non sistit.)

Non solvitur alcalibus, difficulter et tardissime acidis (uti muriatico)

Si oxalas Calcariae post secessum e renibus immediate excernitur, coloris griseo fusi exhibet globulos cohaerentes, superficie interdum adeo laevis, ut cannabis sativae semina aemulentur. — Praeter oxalatem Calcariae semper alias quoque vehit partes: Phosphatem Calcariae, acidum lithicum, et substantiam animalem, profundius tinctam (probabiliter sanguinem effusum). E 100 calculis vesicalibus 5, 89 sunt oxalates Calcariae; e 100 nucleum talem tenent 9, ad observata Henry. Saepius oriuntur in aetate infantili.

§. 11. *Calculus urinarius fusibilis* Marceti. (Calcul fusible Gallorum schmelzbarer Blasenstein) Est Phosphas uterque unitus, seu Phosphas Calcariae et Phosphas Magnesiae ammoniatus, cum vel sine acido urico, quod communiter nucleum constituit. Formam praesert Cretae, colorem album saepe texturam lamellosam, tuncque intus splendicat a crystallis admixtis Phosphatis Calcariae Ammoniati. Gravitates specif. 1, 14 ad 1, 47. Sub tubo ferruminatorio de-nigratur, relicto residuo voluminoso: cinis tenet Phosphatem Calcariae, Phosphatem Magnesiae.

Non solvitur aqua, non alcalibus, verum acidis seriatim adhibitis decomponitur. Alcalia addita expellunt Ammonium, suscipiuntque acidum uricum (quod relictum addito acido nitrico et vaporibus admissis Ammoniae suos pandit characteres): residuum ab alcalibus intactum est Phosphas Calcariae atque Magnesiae. — Acetum destillatum leni calore adjutum suscipit Phosphatem Magnesiae ammoniatum non Phosphatem Calcariae, hic dein solvitur acido muriatico diluto. — Solubilis est acido muriatico et nitrico dilutis.

Henry in collectione Whitei calculum invenit, qui 20 Phosphatis Calcariae, 60 Phosphatis Magnesiae ammoniati, 10 acidi lithici, 10 partium animalium tenet (nucleum ejus

constituit fragmentum candelulae: Bougie). Idem casum refert hominis post vomitus repetitos evacuantis urinam lactis instar turbidam, e qua copiosus separabatur pulvis ex anatica fere utriusque Salis proportione compositus. Aeger tunc sine emaciatione, adeoque musculorum defectu intra breve periodum a pondere 188 librarum defecit ad libras 100: ossa adeoque defecisse supponi debet!

§. 12. *Calculus vesicalis stratos alternans.* (Der abwechselnde Blasenstein). Superficies ei est alba, cohaesio friabilis, si stratum exterius Phosphate Calcariae, aut sub-crystallina, si id Phosphate Magnesiae ammoniato compositum est. Sales hisaepē circa nucleum per strata alternant: saepissime sic formantur Phosphates ambo, dein Oxalas Calcariae cum Phosphatibus, dein idem cum acido urico, demum Phosphates cum oxalate et acido urico. Henry proportionem sequentem invenit calculorum, *generalim* uti 10 ad 25 seu 40: 100; in quibus alternat
 Acidum uricum cum Phosphatibus, uti 10:48 — 100: 20,83
 Oxalas Calcariae cum — — uti 10:116 — 100: 8, 6
 Oxalas Calcariae cum Ac. urico uti 10:170 — 100: 5, 8
 Oxalas Calcariae cum Ac. urico et Phosphatibus,
 uti 10:265 — 100: 3, 7.

§. 13. *Calculus vesicalis mixtus* variat habitu, hinc et constitutione. Est enim saepius occurrentis

a Acidum uricum cum Urate Natri, sub tubo ferruminatorio exhibens vitrum griseum, albendum vel opacum;

— — cum Urate Ammonii,

— — cum Urate Natri et Ammonii;

b — — cum Phosphate Calcariae et Phosphate Magnesiae Ammoniato;

c — — cum Oxalate Calcariae;

d Phosphas Calcariae cum Phosphate Magnesiae ammoniato,

e Oxalas Calcariae cum Phosphate Calcariae.

f Quadruplex: ex acido urico, oxalate Calcariae, Phosphate Calcariae, et Phosphate Magnesiae ammoniato stratosus.

g Adgregatus tandem ex acido urico, oxalate, Phosphatibus, insuper Urate Natri, Carbonate calcar. Ferrico, silica — forma, colore, et texture variis, magnae tamen duritiei.

Communior horum constat e mixto Acidi urici cum Phosphatis terreis, varia proportione, schistis alternantibus interdum adeo tenuibus, ut visus nihil heterogenei distingvere valeat. Taliū compositorum calculorum proportionem Henry expressit numeris 10: ad 235-100: 4, 25. Quadragesima calculorum per Fourcroy et Vauquelin investigatorum pars hujus erat constitutionis; cum autem hi investigaverint 500 calculos, hinc 100: 2,5.

§. 14. *Calculus siliceus* ustulatione relinquit cinerem infusibilem, subcoriaceum, qui Natro addito cum effervescentia sensim solvitur in globum griseum, aut parum pelluentem. Silica urolithis raro inest, (bis invenit Fourcroy) vel acido urico, vel Oxalati Calcariae juncta. Etiam in urina observavit Berzelius, ab alimentis et aqua assumta derivatam.

§. 15. *Calculus Oxydi cystici Wollastonii* habitum praesefert Phosphatis Magnesiae ammoniati, imo potius Lapidis calcarii magnesiati. Coloris est dilute fusci, fere in stramineum declinantis, splendoris proprii, sub scissione parumper tenax: frustula sunt semipeilucida; textus non schistosus, verum e crystallis intertextis. Crusta interdum Phosphas Calcariae. Pigmenta vegetabilium non mutat. — Solvitur tam Alcalibus quam Acidis, et unio utraque crystallisabilis est. Acido nitrico non rufatur; quo charactere negativo differt a calculis urolithicis. Ex acido nitrico precipitatur Alcohol. Non solvitur Aqua, Alcohol, Aethere. Calore leniabit in Carbonatē Ammoniae et Oleum, relicto residuo paucō Phosphatis Calcareae. — Sub tubo ferruminatorio se habet calculi urolithici instar: facile accensus ardet cum flamma coeruleo viridi, et absque fusione evolvit odorem intensum, propriumque acidum, ad eum Cyanei precedentem. Cinis tandem, non alcalescens, cum phosphorescentia momentanea collabitur in massam griseo albam.

Rarissimus omnium in proportione est 10:985, secundum Henry, (adeoque centum calculi urinarii vix ultra unum ex oxydo cystico constantem exhibent). Observavit is duos tales plane puros; insuper tamen calculi unius urolithici nucleum ex oxydo cystico constare. Quo observatio Marcelli confirmatur, calculos nos esse revera seu origine sua renales, (nomen adeoque inconveniens mutandum veniet in *Oxydum nephriticum seu renale*). Inventor Wollaston aequiter duos tales observabat, Phosphate calcar. leviter incrustatos.

§. 16. *Calculus Oxydi Xanthici* (Marctei) p. 85. 94.
Iaevi, rubellus, texturae est lamellosae; solvitur Alcalibus
 et Acidis: solutio in acido nitrico inspissatione dat residuum,
 coloris dilute citrini, quo differt ab Oxydo cystico, nomen-
 que promeruit (oxydi flavi). Unicus a Marcte observatus est
 parvus, (videturque acido urico analogus esse).

§. 17. *Calculus e fibrina* (Faserstein) constans, qua-
 litates praesertim fibrinae sanguinis, cuius pars segregata esse
 videtur. Primus distinxit Marcte in calculo invento per A.
 Cooper.

§. 18. *Carbonatem Calcariae* qua partem constituti-
 vam calculorum urinariorum notavit Bergman, et Crampton;
 addit Walther eum adesse in calculorum massa exteriore
 (non in schistis) cum Phosphatis, ita, ut interdum Creta,
 interdum Phosphas Calcariae excedat; eum non occurrere
 cum Acido urico, Urate Ammoniae, vel Oxalate Calcariae.
 Gvebel (in Trommsdorff's Journal 6. a, 198) describit calcu-
 lum e 96, 025 Carbonatis Calcar et 3, 125 substantiae ani-
 malis cum Silica permixta constantem,

Carbonatem Magnesiae Lindbergson semel deprehendit.

§. 19. *Benzoa Ammoniae* semel se obtulit Brugnatel-
 li: e lapillis minoribus coadunatis, colore griseo, odore
 Castoreo analogo levis, durus. Tenebat praeterea Phospha-
 tem et Oxalatem Calcariae.

§. 20. *Calculorum Diagnostica* seu cognitio specie-
 rum singularium tota dependet a partibus constitutivis, quae
 certis se exhibent rationibus. Inprimis tamen evincendum
 est, an calculi urinales sint incrustata heterogeneorum cor-
 porum, quae semper contingunt ope Phosphatis Calcariae,
 aut sint pura concreta anorganica, absque nucleo heteroge-
 neo, ab extus subintrante, quae variae sunt indolis. Cal-
 culorum verorum cognitionem, externam ut plurimum, se-
 quens exhibit tabula.

Calenti urinal.	sunt coloris	superficie	textura	
ex Acidō uric.	rubri, obscurē flavi, fuscī,	laevi, rarius verrucosa, tuberculosa.	fibroso, radiata stratis concentrica, lamellosis.	Solubiles Alex- ibus sine evo- luto Ammonio.
ex Uratae Am- moniae	Coffeae lacti mixtae ana- logi.		Calcarii densi in- star subtilissime terrea, stratis concentricis.	Solubiles Alca- libus cum evo- luto Ammonio.
ex acidō urico cum Phospha- te Ammoniae magnesato	pallescentis aut grisei	laevi, saepius tamen cry- stallina.		
e Phosphate Calcariae	fuscescens, intus cretaceo-eburne; raro purus, vix magnus.	laevi, quasi polita, figura complanata.	crystallina, lamel- lis perpendiculariter striatis. Fri- abilis, facile fra- gilis, raro durior. Transparens.	
e Phosphate Ammon. mag- nesiato (<i>cal- culi fusibles</i>)	albus, saepe candidus, Magnus praecipue, si textura densa.		densa, vel rarius schistosa cum crystallis sue massae. Cretae in- star friabilis, digito inquinans. Lamellosa, crystallis splendican- tibus dirimitur.	
ex Oxalate Calcariae (<i>moriformes</i>) communiter sistunt nucleum cum Urato Ammoniae; saepissime inter nucleum et crustam phosphoricam.	obscure fuscī usque in nigrum declinantis, (a sangvine colorati) Pallidiores sunt copiosi, parvi, hinc se at- terentes. (Hanssaamen- stein Marcket)	verrucosa, aut altius tuberculata. rarius laeviore, (tunc coloris dilutioris.)	imperfecte lamellosa, inter- dum densa. Gravis	Non solubi- les Alcalibus difficiliter A- cidis diluti- oribus.
e Carbonate Calc. (<i>creta- cei</i>) investiunt nucleum Urato Ammoniae cum Phosphatebus.	albi,	aspera, rarius plane mo- riformi.	densa, durior, friabilis tam- en, inquinans.	solubiles Acidis cum ef- fervescentia.
ex Oxydo cy- stico interdum crusta Phos- phatis Calca- riae tecti.	flavi,	splendoris micantis, sub pellucidi.	tota cristalli- na. Parvi.	

§. 21. Calculi urinalis *compositio vix non certa proportione variat, quam hactenus sequentem novimus.*

Calculi renales constabant ex Acido urico 51-0, 88

oxalici erant . 6-0,10,3

oxydi cystici . 1-0,01,7

a Brande investigati 58- 100.

Arena vesicalis (Harngrices) tres fert miscelas, utplurimum non permixtas seu puras; raro alias, praeter has:

Acidum uricum, forma sedimenti rubri, aut fusci.

Phosphatem Calcariae, forma sedimenti albi.

Phosphatem Amoniae magnesiatum forma sedimenti albi.

Nucleus calculi vesicalis constabat:

ex Acido urico in 51 calculis ex 80 in Würtembergia secundum Rapp, . . -0,60

in 158 Calculis e 187 Manchestria sec. Henry. . . . -0,84,4

ex Urate Ammoniae

e Phosph. Amm. Magn. in 4 -0,2

ex Oxalate Calcariae in 17 -0,9

ex Oxydo cystico in 3 -0,1,6

e heterogeneis in 2 -0,1,06

loco ejus cavum in 3 -0,1,6

<i>Calcoli vesiculae.</i>	ad Brande in Mus. Hunter	Henry Man- chestriae	Marcet Norwichii	Rappin Würtemb.	Front Parisiis	Fourcroy Scheele in Svecia
ex Acid. uric.	216	71 maj. p.	66	7	$\text{I}\beta$ omnis, max. p.	omnes,
ex Ac. urico c. Phosph. peo.	45					
e Phosphatib. c. peo. ac. ur.	66					
e Phosphatibus puris.	12	22				
ex Ac. ur. cum Phosphat. est nucleo Oxalatis Calc.	5					
ex Oxalate Calcariae	6 maj. p.	11		22	113	
compositi ex Oxal. Calc. Phosph. terr. et Ac. urico		8		56	202 Phos. mixt.	
Stratis altern. Ac. ur. et Phosph.		39				
ex Oxalate et Phosphati- bus.		16 (fusib.)				
Stratis alt. Ac. ur. et oxalatis		11				
ex Ac. ur. Ox. Calc. et Phosph.		7				
<i>Summa</i>	150	187	181	81	823	500

§, 22. Conspectus calculorum urinalium secundum numerum partium constituentium sequens est.

- Calcnli simplices*
1. ex Acido urico,
 2. ex Urato Ammoniae,
 3. ex Oxalate Calcariae,
 4. e Phosphate Calcariae,
 5. e Phosphate Magnesiae ammoniato.
 6. ex Acido urico, et Phosphate quodam,
 7. — — et Oxalate Calcariae,
 8. ex Urato Ammoniae et Phosphate Magn. Ammoniato.

- Calculi duplices*
9. e Phosphate Calc., et Phosph. Magn. Am.
 10. ex Ac. urico, Phosph., Calc., et Phosph. Magn. Ammoniato.
 11. ex Urato Ammon. Ph. C. et Ph. M. A.
 12. ex Ac. urico, Oxal. Calc; et Phosph. quodam

- Calcnli triplices*
13. ex Urato Ammoniae Ox. C. et Ph. qu.
 14. e Carbonate Cal. Phosph. calc., et Ferro.
 15. ex Acido ur. Oxal Calc. et Phos. utrisq.
 16. — — Urato Am., Phosph. quod, et Silica,

- Calculi quintuplices*
17. ex Ac. urico — — Oxal. Cale., et Phosphatibus utriusque.

§. 23. *Variant calculi* praeter partes constitutivas loco, numero, colore, odore, magnitudine, pondere, figura, superficie, textura, cohaesione.

§. 24. *Locus* vix datur corporis humani, qui calculos non teneret: cerebrum, viae lacrymales, palpebrae, lingva, saepius, ductus Stenonianus; pulmones, bronchiae; pericardium, Aorta (non raro), intestina, mesenterium, splen, hepar, vesica fellea; ovarium, placenta, tubae fallopianae, uterus, vagina; renes, ureteres, testes, vasa seminalia, vesica, penis, urethra.

Calculi vero urinales speciatim ad locum sunt renales, ureterici, vesicales, urethrales. Non raro ex ureteribns descendentes subintrant membranas vesicae obliquo descensu, intra vesicae quoque parietes suscipiuntur, (Memoires de l'acad. des Sciences de Paris 1702. de l'acad. de chirurg. 2,277), intra rete vesicae interdum fibroso trabecularis haerent, aut sacco membranaceo libero (pseudomembranis sensim

formatis, imo muco tenaci) aut adnato clauduntur. Calculi adeoque vesicales sunt liberi, cincti, aut adcreti (saccatos vocant).

§. 25. *Numerus* calculorum hominem infestantium variat. Saepissime adest unicus. Casum unius praesentis ad plures designat Richerand (*Nosographic chir.* t. 3) uti 3 ad 1. Adsunt tamen interdum plures. Huc spectant calculi cannabini (*Hanffamensteine* Marctei); viginti, triginta ab osevatoribus adnotati habentur; 60 vedit Wegelin (*de dysuria. Argentorati.* 1779), ultra 100 referunt *Ephemerides Nat. Cur. Dec. 2. Anno 1.* Obs. 161; 214 vesicales magnitudinis pisi invenit Sharp (*Ehrlich Beobachtungen*) 1, 209).

§. 26. *Coloris* sunt albi, cinerei, flavicantis, rubicundi, rubri, fusti, imo (oxalici interdum) subnigricantis. Imo strata saepe alternantium sunt colorum. Albi coloris sunt Phosphates, et (rariores longe) Carbonates; rubelli, aut rubri ex Acido urico constantes.

Odor plurimis est nullus, paucioribus urinosus; sub serra spargunt odorem animalem, ut plurimum ei ossium rasorum analogum, imo plane Moschi.

Sapor plurimis est nullus, raro paucus.

§. 27. *Magnitudinem* saepissime praeseferunt amygdalam, et ovum gallinaceum; majores sunt rariores. Dependet haec ut plurimum a constitutione chemica; Phosphas Calcariae sistit maximos. Calculum diametro sex pollices et sex lineas adaequantem vedit Molineux ex urethra pueriae excerni (*phil. transact. n.* 236).

§. 28. *Pondus* calculorum urinalium saepissime est a drachmis 2 vel 3 ad Uncias 3 vel 4. Copiosi tamen ultro hoc pondus observati sunt.

5 unciarum, non raro observabantur.

6 unc., calculus inter praeparata anat. Loderi describitur.

9 unc., cordiformem, describit Pardus I. 24. c. 19.

12 unc., notat Eller in hist. acad. berol. 1757. 30.

— — — Pallucci in remarques 72.

— — — Mursinna Journal 4, 6, 94.

14 unc. — Acrel Verfasse 2, 84.

14 1/2 — vedit Ehrlich Beob. 1, 209.

25 — notat Paar in annot. ad Horn opusc. anat. 453.

31 — — Deguise recueil de la Soc. de Med. 14, 422.

— — — Recueil periodique 7, 425. (diametri 5 poll.).

32 unciar. notat Sömmerring in notis ad Baillie.

40 unciar — Earle in Phil. transact. 1809. n. 18.

50 unciarum notat Tolet traite de la lithotomie Paris 1708
ultra 3 ℥ — le Cat taille laterale pag. 378.

— 6 ℥ — Commercium lit. nor. 1739. Hebd. 9.

6 ℥ et 3 unciar. vidit? Kesselring Morgagni de sedibus,
ed. Tissot 2, 413.

Gravitas specifica gravissinorum est 1, 976 notante Eggert.
Pondus calculorum renalium longe minus est : unciarum 3, 1/2
refert Waltheri Museum 1, 9; unciarum 5 Poll. in diss. propria.
Lipsiae 1737 edita ; unciarum 6 1/2 Mem. de Paris 1730.
Tales majores interdum per apostema secedunt.

§. 29. *Figura* dependet a mixtione seu constitutione
chemica, a loco susceptionis et a numero plurium se invi-
cem atterentium. Communissima forma est calculi ovalis,
utrinque (praecipue si unicus adsit) compressi, aut ovati,
rarius globosi et tunc majores. Saepe sunt formae vesicæ
urinariae, cum pedunculo pyriformi (a collo vesicæ for-
mato), imo cum sulco longitudinali urinam emitte. Cor-
disformes non rari ; annularem describit Morgagni epistola
42. Art. 110. Observati sunt fragiformes, imo ramosi, cannulati
(Acrel, Blancard.) Fungi formam imitantes sunt incrustata po-
lyporum et excrescentiarum organicarum.

Superficie sunt laeves, angulosi, faciebus pluribus po-
litis (si numero plures se atterunt, aut asperi, imo verru-
cosi, et tuberculosi.

Substantia pleni, rarius cavi, perforati.

Textura densi, granulosi, crystallini, lamellosi, imo
concentrice lamellosi, schistosi.

Miscela chemica certam subinbrat formam :

Ovales utrinque compressi communiter sunt *Urolithici*.

Ovati utrinque compressi communiter sunt *Phosphas Amon.*
magnesiatus,

Oblongi, forma vesicæ, imo cum pedunculo sunt *Phosphas*
Ammoriae magnesiatus, cum
Phosphate Calcariæ.

Verrucosi, asperi (imo accreti) sunt *Oxalas Calcariæ*.

§. 30. *Cohesio* multum variat, chemicam tamen aequæ
sequitur indolem. Pulvis interdum est terreus, granulosus,
aut potius crystalli minores (arena, Hargnries), necdum cal-
culus dicendus.

Calculi vix cohaerentes, facilis tamen pulverandi sunt
Phosphas Calcariae, Phosphas Ammoniae magnesiatus,
 facillime franguntur, facillime pulverandi *Uras Ammoniae magnesiaeque,*
 facile franguntur, facile pulverandi *Uras Ammoniae,*
 facile franguntur, difficilis pulverandi *Urolithici*, duri
 sunt *Oxydum cysticum,*
 durissimi sunt *Oxalas Calcariae.*

§. 31. *Nucleus Calculi* res est momentosissima ad originem
 calculi intelligendam, ad planum curae medicae desigendum.

Heterogenea ab extus immissa non rarum effecere nucleum : Stramen hordei granum, avellana (Howship), ossa parietalia foetus, pili, pessi, acus crinum, candelulae chirurgicae (bougies). *Heterogenea* in corpore oborta sunt muci, sanguinis et puris grumus ad vias uropoeticas delatus, quod multa testantur observata (sic in Hufeland et Hilly Journ. 1810. Martio 67). Talia nucleum calculi urinalis sistere posse dubitat Walther, et Fourcroy ; asserentes, se tamen non vidisse nucleum ; at dantur calculi cavi, in quibus mucum vel albumen resorptum fuisse putatur ; Observata Denyi plura hanc suppositionem firmare videntur ; experimenta tandem Rau demonstrant, pus nucleum calculi sistere posse. Ad haec heterogenea se deponit *Phosphas Calcariae*, (Howship 78).

Nucleus ubique fere invenitur, tantae quidem magnitudinis, qua e renibus per ureteres descendere potuit. Videtur hinc *Calculus urinalis* esse *origine renalis*, qui augetur magnitudine vel addito mixto simili, si urina eodem redundat, vel alieno, si idem paucius, aut eadem tantum periodo sistebatur. Plurimi certo nuclei sunt constitutione chemica acidum uricum :

0,60 Rapp observavit in Würtembergia.

0,84,4 plane Henry in Manchester.

Nucleus hic uricus augetur stratis concentricis *acidi urici*, aut hoc tardius deficiente stratis *Phosphatum terreorum*. Observavit Henry: in plurimis originem calculi urinalis dependere a diathesi excessivam acidi urici quantitatem separante. Ea adeoque esse debebit medicorum intentio, diaeta et medicamine acidi urici e renibus proventum niniuum praepedire. — Rarissima certius origo calculi urinalis (seu lithogenoseos animalis generatim) est secretio *Phosphatum terreorum*.

Phosphates terrei longe saepius calculum totum urinalem animalium aliorum constituunt, quam hominis. *Phosphas Calcariae* totum exhibuit calculum urinalem porci (Berthollet); Cum ammonio et materia animali calculum canis (Pearson), quod in equis saepius contingit. Calculum urinalem cati una quarta parte *Phosphatem Calcariae*, tribus quartis Carbonatem Calcariae vehentem observavit Fourroy. — His tamen locis corporis humani saepius se adponit *Phosphas Calcariae*: talis esse videtur crusta dentium (Bahnweinstein); sistebat is calculos repertos in glandulis pineali, salivalibus, bronchialibus, meseraicis; in prostata et in corporibus cavernosis penis.

Phosphates terrei in hominibus communissima sunt catiā *auctae magnitudinis* calculi urinalis: cum e solutione facillime discedant, cum heterogerea immissa solutioni juvent crystallisationem, praeципitationem.

Carbonas Calcariae cum materia animali calculum cuniculi efficit (Fourcroy), et idem saepissime stitit arenam urinalem equorum (ad 45 libras in vesica urinaria repertam refert Ure Wörterb. 287). Rarus certo calculus urinarius hujus indolis chemicae uti patet e §. 18. Calculus pulmonalis militis demortui, 6 $\frac{1}{2}$ poll. circumferentia emetiens, spheroideus, dnrissimus tenuit Calcariae 45, acid. carb. 37, albuminis et aquae 18.

§. 32. *Lithogenia animalis* gravibus adhuc premitur difficultatibus; multae enim et olim et nunc adhuc asseruntur causae, quin nexus cum effectu exponi possit. *Calculorum* ortus certo sub variis observatur conditionibus: ratione climatis, aetatis, constitutionis et sexus, quae tamen exactius reduci possunt ad generales relationes osteogenesis, functionum assimilationis et cutis.

ad) *Osteogenesis periodus seu aetas infantilis* calculorum origini saret. Prolibus, praecipue pauperioribus, male nutritis calculi saepius oriuntur sub osteogenesi, periodo nempe inter dentitionem et pubertatem intercedente, ab anno 3 ad 14-tum. Observavit Walther, calculos *prolium urinales rariores esse uricos, copiosiores Phosphatem Magnesiae ammoniatum, et Oxalatem Calcariae!* Tunc *Phosphates* oriuntur copiosissimi, tunc evolvitur *prolium dispositio rhachitica, imo Rhachitis ipsa*. Si Rhachitis inter 4-um et sextum aetatis annum evolvitur, pueri siant ecalculosi (a rhachitide retardata, suppressa); proles calcu-

losae signa praeserunt rhachitidis, observante Chopart; imo quidam medici asserunt, physiognomiam aegrotorum utrorumque esse eandem; Kern tandem originem plane omnem calculi (ad minimum quoad nucleum) aetati infantili adscribit, licet is tardius increbat, aut sentiatur.

Actas mediae immunis est: fere robustiores, et debilissimi non fiunt calculosi.

Actas virilis proiectior longe saepius hoc excruciat morbo, obnoxioique magis sunt seniores ditiores, desides, aromaticis atque spirituosis indulgentes. Horum enim reproductio vergit ad indurationem, ossificationem partium alias mollium: oritur haec ab imminuta digestione, cutis functione, producitque plethoram venosam, haemorrhoides, discrasiam, melancholiam, scirrhos, arthritidem, calculum.

Calculi senuum copiosiores sunt urici, pauciores phosphatici observante Walther.

§) *Assimilationis functio* primarium forte sibi arrogat influxum in Lithogenesim animalem. Antiquiores aquis maximam tribuerunt partem. Recentiores observatores asserunt, potum Cremati multum causare dispositionem in calculum; rarissimum esse in regnis, in quibus sola potatur cerevisia. Momentosa sunt observata, imo experimenta circa influxum ciborum per Magendie facta, quorum resultatum est sequens. Cibi multum Azoi tenentes augent productionem calculi urici et phosphaticorum: praecipue penes usum vini, spirituosorum potulentorum et defectum motus. Herbivora mammalia carent urina phosphatica; imo si carnivora (alias urinam Phosphatis praegnante velhentia) nutriantur herbis, Phosphates sensim, et tandem plane carent. Addit Magendie: calculos abesse e regionibus tropicis, quarum incolae vix non vegetabilibus solis nutriuntur. Cum hac tamen ohservatione non satis cohaeret observatio altera: calculis etiam carere regionum polarium incolas, carne vescentes, (an forte a pingviore nutrimento? copiosioribus piscibus?). Nec victus animalis solus calculi origini favet, cum cati, animalis carnivori, calculus majore parte Carbonas, minore Phosphas Calcariae fuerit (Fourcroy), nec acidum uricum tenuerit, et cum calculo equi, animalis herbivori, convenerit (Wurzer). Ultima restat, solaque hominis ab aliorum animalium differens ratio vitae.
Potuum spirituosorum usus.

Haec phoenomena explicat Walther: et relativo Hydrogenii in systemate uropöetico defectu tam Acidum uricum, quam Oxalatem Calcariae oriri; cum Azoï copia Acidum uricum,

in Azoï defectu Oxalatem.

γ) *Cutis functio* aperte influit in originem calculi. In regionibus enim depressis, humidis, paludososis, imo in domibus talibus copiosae scrophulae, arthritis, calculus, copiosi catarri et blenorhoeae systematis uropöeticæ et genitalis: sic in Hollandia. Copiosus est calculus urinalis in Russia, Svecia, Dania, Hollandia; rarius in Gallia, longe rarius in Hispania, fere incognitus est morbus in Africa et India. Intelliguntur haec e facto physiologico: in frigidis renes fungi loco cutis. Morbi cutanei vires supplent morborum systematis uropöeticæ; in patria lepræ, variolæ (forte etiam scarlatinae?) rari sunt morbi viarium urinalium, ad Walther; proles impetiginosae (crusta lactea, tinea capitis laborantes) non laborant calculo; psora et rheumatismi retrocedentes causae fiunt calculi urinalis.

Quantum assimilatio, et perspiratio in calculi productione faciat, demonstrat observatio: regionis singulae calculos esse ejusdem constitutionis chemicae; sic in Würtembergia communis est Oxalis Calcariae, alias perrarus.

δ) *Sexus sequior* viris longe minus huic est obnoxius morbo, prouti etiam Arthritidi! Urethra insuper brevior, latior, saepius calculos, bene magnos, excernit.

Ratio vitae deses calculis favet: sessio multa, cubatio protracta, urinae retentio non quidem causant, sed formant calculos (prouti res illapsæ quae praecipitationem saepe citissimam Phosphatum terreorum, atqne sic augmentum, non productionem, calculi juvant).

§. 33. *Formationis conditiones* varias adstruunt Autores. Crystallisationem urinae salinam putabat Boerhave (in elementis chemiae), quam Tartari instar e vino fermentante depositi fieri asserebat Gaub (in pathologia). Caemento glutinante partes terreas uniri jam olim edixerant Paracelsus et Helmont, nomen quoque glutini dantes, uti solebant, barbarum: Duelech, W. Austin primus anno 1780 processu hoc fieri organico edixit: Membranae nempe mucosæ statu subinflammatorio, cui opinioni recentius accessit Walther.

Partes disjungi in systemate uropoëtico quantitate nimirum praesentes, aut qualitate aberrantes putat Deschamps (raite de la taille 1,138. 145.), quae tamen nimis generalia, in re prorsus speciali nihil dilucidant. Speciale phoenomenon *Magendie* explicat arenae et calculi urici. *ex acido urico vel absolute aucto* (per victim), vel ad quantitatem urinae paucioris relative aucto (per sudorem) et temperaturam urinae imminentam (refrigeratione externa, aut aetate provecta). Illustrantur haec, imo ampliantur et ad alias calculi urinalis species extenduntur observatis Angli Brande, ad quae *urina excreta semper est acida*. Acidum urinae recentis excessivum est phosphoricum, uricum, carbonicum: urina sub recipiente ab aëre depleto semper emittit acidum carbonicum; urina recens missa semper praecipitat Aquam Barytae in Carbonatem Barytae (observante Brande). Acidum Urinae excessivum Terras, seu Salia potius terrea (sedimentum urinae album) in solutione retinet; hinc omnia, quae Acidi excessum minuant, (nutrimenta, remedia, morbi), causant sedimentum album: **Phosphatem quemdam, excernunt**, quo in casu remedium esse rem acidam demonstravit Wollaston.

W. Walther causam adstruit compositam: 1-o excessum Acidi Urici, 2-e Oxydatione simul mutati, 3-io cum glutinis aucta simul proportione, quae tamen omnia a statu vitali membranae mucosae subinflammatorio dependent et sustentantur, unde *acidum uricum copiosum, oxydatu, muco copioso nectitur*, sistitque nucleum calculi, tardius mole augendum. Huic adeoque auctori urinalis Lithogenesis est plasticismus organicus cum excessu crystallisationis chemicae (phoenomenon analogum esse ei indurationis et scirchi.) Addit is: distingvi debere concretiones urinosas ab incrustationibus urinosis; — addit sine glutine oriri arenam; glutem impedire crystallisationem, hinc Phosphas Ammoniae magnesiatus in calculis saepissime crystallisatus occurrit, glutine absente.

Wetzlar contra utrumque bella movet: Magendio obvertit: saepe oriri concrementa urica absque acidi hujus augmento; — Uratem Natri excessivum praesentem non praecipitari (qui adest in urina febricitantium critica, e qua primum post refrigerationem sedimentum oboritur; — copiosos calculos urinales non esse Acidi urici. *Walthero*

objicit: calculos urinales quidem oriri ex organicis, struc-
tura tamen et forma esse anorganicos; hypothesim esse,
Acidi Urici mutationem in oxydatum, et peculiarem affe-
ctionem viarum urinariarum. — Novam his objectionibus
superaddit processus hujus explicationem. Causa proxima
calculi urinalis generati est Acidum uricum liberum (quod
alii falso putant esse normale!). Consuetus enim Sal Uri-
nae est *Uras Natri*, qui cum acido lactico libero debili
cohabitat non decompositus, qui tamen *Acido fortiore* ac-
cedente *disjunctus Acidum dimittit Uricum* in praeci-
pitatum. (Idem antea sentiebat *Prout*, qui tamen Salem
Urinae nativum pronunciat Uratem Ammonii). Acidum au-
tem fortius (lactico) Urinae accedit potu acido (vini, cere-
visiae, succorum vegetab. acidulorum) aut productione in
primis viis, (quae in infantibus saepius contingit) ex hyper-
oxydatione humorum, aut proportione imminuta principii
alterius combustilis, praecipue Hydrogenii. Urinae enim
in renibus separatio processu contingit oxydatorio, combu-
storio, cuius abnormitate nimia se — et excernitur Acidum
non lacticum, verum fortius; cuius status inflammatorius
in renibus (ab Austin et Walther suppositus) interdum causa
Lithogeneseos urinalis esse potest.

Calculi tamen urinales lente oriuntur, sensim incres-
cunt, atracto quidem loci muco (non tamen ad coagmen-
tationem molecularum necessario), absque tamen processu
plastico. Dum Walther e partium calculum componentium
fere omnium forma communiter non crystallina ad indolem
calculi urinalis organicam concludit errare videtur, cum
mucus animalis impedit crystallisationem, sed praecipue
ideo, cum partes hae generatim parco polleant nisu in
crystallisationem, etiam extra corporis humani limites
(Wetzlar tamen oblitus esse videtur: Phosphatem Calca-
riae imo et Phosphatem Magnesiae Ammoniacalem facile
crystallisari). — *Arena urica* oritur e copiose secreto Ura-
te Natri Acidis decomposito per verum praecipitationis
processum.

§. 34. *Genesis calculorum urinalium specialium* no-
stro aevo sequenti ratione intelligitur.

Calculi urici seu urothici. Urinae Sal nativus non est *Uras*
Natri, quem Wetzlar statuit, verum ad antiquiores *Prouti* in-
vestigationes, et recentiorē Leopoldi Gmelin solerter rein-

vestigationem *Uras Ammonii*. Aciditas autem Urinae dependere videtur a Superphosphate Ammonii seu Phosphate Ammonii acidulo, qui Phosphatem Calcariae liquide solvit (non vero illa dependet ab acido lacticō seu plane aceticō libero!) in Heidelbergi Annalen 1823. N. 49. — Origo acidi urici ab oxydatione humorum dependere videtur (referenti potius a Hydrogenii decremento, Carbonii vero incremento — cum acidum uricum ad recentes determinationes eandem plane oxygenii quantitatem teneat, quam tenet Ureum: 26, 66 nempe centesimas!). — Causa praecipitatorum uricorum seu urolithicorum a Magendio statuta: acidi urici augmentum absolutum, vel ad urinae quantitatem relativum, aut urinae temperatura imminuta admitti potest; contradictio enim Wetzlarii, non est fundata, cum acidum uricum liberum inter difficillime solubilia spectans (solvitur enim ad Henry determinationem solum 1, 720 aquae frigidae 1, 400 fervidae partibus) facile e solutione discedere, et in praecipitatum abire pronum sit. Sedimentum urinae criticum sub refrigeratione ortum videtur pars esse decompositi tunc Uratis Ammonii. Acidum tamē uricum excessivum rara esse videtur causa praecipitati urici seu urolithici (rubri nempe sedimenti, nisi forte solum Arenaë rubrae), verum *alia acida* libera facta causam ponunt calculi: Acidum nempe phosphoricum, sulphuricum, muriaticum, carbonicum, erythriticum, aceticum, quae secernunt atque *praecipitant Acidum uricum* liberum, aut paucō Ammonio junctum — pro quantitate nempe Acidi disjungentis. Magendie tamen plures ante annos non concessit transitum Acidorum in sangvinem, et sangvinem semper esse alcalinum statuit. At sangvis statui neutrali vel accedens acidorum excretionem jam disponere valet; imo secretio et excretio e sangvine alterius est, quam sangvis ipse indolis. Haec firmantur casu pathologico per eundem Magendum 1826 observato, in quo Rumex quotidie comestus calculum causavit ex Oxalate Calcariae puro constantem — quo acidi in Rumice contenti oxalici transitus per sangvinem in sistema urinale luculentissime exhibetur! Idem factum stabile evasit observationibus Morichini; Wöhleri et Howshipii. Morichini in Urina hominum fructibus acidulis vesci solitorum reperit Acidum citricum et malicum. Magis eundem Acidorum transitum demonstrant experimenta Wöhleri (in Tiedmanns Zeitschrift

für Physiologie enarrata). Howship tandem iterato observavit, quod acidis copiose assumptis, eo scopo, ut indoles urinae acida susciperatur, et sedimentum ejus terreum casset, casset arena alba, sed oriatur rubra, urica seu urolithica. — Ex his patet, nihil deesse, quin assertum therapeuticum fidum statuatur; *Acida assumta in Urinam agere, sedimentum urinae rubrum, urolithicum causare! Acido imo vegetationis ope secretionis processu oriri!*

Howship practicus Anglus, observata sua illustrat theoria Brandei, dum asserit: calculum urinale in renibus ortum esse uricum seu Acidum urolithicum, in vesica ortum esse Phosphatem Calcariae vel Phosphatem Ammonii Magnesiatum, hunc rarius esse Phosphatem Ammonii magnesiatum in stratis cum Phosphate Calcariae alternantibus. — Communissimum esse calculum urinale, cuius nucleus uricus, in renibus ortus descendit in vesicam; hoc loco major evadit per arenam uricam aut acidum uricum subsequens, aut longe saepius vel superimposito Phosphate quodam, vel alternantibus schistis phosphaticis et Acidis urici (*Howship Praktische Bemerkungen über die Krankheiten der Harnwerkzeuge 78 S.*)

Calculi Oxalatis Calcariae. Walther dubitat purum Oxalatem Calcariae sistere calculum urinale; formare calculi nucleum, vel calculum cum socio Acido urico et Urato Ammonii, copiosissime existere in stratis cum Phosphate quodam alternantibus. Sed ad investigationes Proutii arena et sedimenta urinae amorphae saepe purus sunt Oxalas Calcariae (pag. 208); calculus septem lineas longus, duas crassus, a Magendio observatus, a Desprets decompositus purus erat, et similes plures observavit Rapp in Württembergia. — Cujus originis est Acidum oxalicum? *Prout id derivat ex Acido urico decomposito*, cum nucleus indolis urolithici saepe ambiatur Oxalate Calcariae, adeoque Acidum oxalicum tempore et serie sequatur illud. Acidum urolithicum non in Urina primum (forte per Acidum nitricum) mutari in oxalicum, sed Acidum oxalicum parte renum secerni, et nunc ex urina normali e parte renum sana descendente Calcariam detrahere, sub forma initio plastica, subcrystallina. — *Walther derivat ex acido benzoico* (multum analogo) carbonico, et lactico liberis (supponens tempore, quo scribebat, substratum Acidi oxalici

esse idem, quod caeterorum est Acidorum vegetabilium: Hydrogenium, Carboniumque — quod a veritate abest, cum ei substratum sit totum Carbonium; addit argumenti instar contra Proutii opinionem: Ureum (Harnstoff) esse materiam multum azoticanam. Prout tamen Acidum Oxalicum non ex Ureo derivat, sed ex Acide Urico (Harnsäure). Acidum oxalicum oritur simul deficiente in Urina Hydrogenio et Azoo: Hydrogenium alias Oxygenii excessum in Aquam, Azoum vero alias in Acidum uricum detrahere solet. Hydrogenii defectus relativus in omnibus casibus collateralis esse videtur conditio geneseos calculi urinalis (defectus absolutus — oboriundi Acidi benzoici) tam concretionum uricarum quam oxalicarum:

Hydrogenii defectus, Azoique excessus Uricarum.

Hydrogenii et Azoi defectus Oxalicarum.

Chelius Acidum Oxalicum derivat ab ingestis (cibo, potu, remedio). Nutrimenta multa tenent Acidum Oxalicum satis copiosum, transitumque hujus Acidi Oxalici in Urinam demonstravit Wöhler, a Rumice quotidie comesto observavit Magendie. Vegetabilis victus in quibusdam regnis copiosos fert calculos oxalicos, in Badensi ditione teste Chelius, in Würtembergia teste Rapp, in Bavaria teste Walther. Victus animalis rarius producit calculos oxalicos: in Anglia copiosiores sunt Urici.— Acidum tamen tam uricum, quam oxalicum simul oriri posse, obvia in calculis demonstrat combinatio Oxalatis Calcariae cum Acido Urico libero vel cum Urato Ammonii. Nec in infantili aetate Oxalatem Calcariae copiosissime provenire. ad Wetzlarii opinionem, demonstrat Walther, Rapp, pluresque alii. *Acidum Oxalicum Phosphatem Calcariae decomponit*: Calcariam sibi jungendo, Acidum phosphoricum eliminando, quod nunc liberatum Urat Ammonii decomponit: Ammonium sibi nectendo, Acidum separando. Hinc intelliges Oxalatem Calcariae vel solum occurtere, vel cum Acido Urico libero, vel cum Urato Ammonii — hinc genesis simultanea Acidi Urici liberi, aut basibus nexi, pro quantitate Acidi fortioris disjungentis.

Calculi phosphatici seu acidum phosphoricum tenuentes. Acidum hoc multis inest nutrimentis, aut qua tale, aut qua Phosphorus: de origine tamen ejus aut transitu in Urinam hactenus nihil constat.

Superphosphas Ammonii causa est aciditatis Urinae, cuius Acidum supersaturans est solvens Phosphatis Calcariae, et Phosphatis Ammonii Magnesiati: hinc omnis Urinae alcalescentia praecipitat haec Salia terrea, dejicitque Phosphatem Calcariae (an solus nucleus sistere possit, adhuc quaeritur!) Phosphatem Ammonii Magnesiatum solum, aut Phosphatem Calcariae cum Phosphate Ammonii Magnesiato simul (in Calculum fusibilem dictum Marteti).

Calculi oxydi cystici. Rarus est, aliorumque calculorum formationem simultaneam magis excludit, quam quiscunque alter. Videtur in renibus generari, atque Ureum esse modificatum, cum Azoi predominio tam ad hoc, quam ad Acidum Uricum accedat.

Ex his relatis et expositis patet causas calculi urinalis esse sequentes: *Dispositio arthritica*, calculosa. saepiusque arenae urinalis excretio. *Causae excitantes sunt remotiores*: esus copiosior farinosorum, lacticiniorum, vegetabilium acidulorum, aut acescentium (acidum malicum, citricum, oxalicum continentium); potus copiosior potulentorum fermentatorum, aut fermentantium: cremati, vini, cerevisiae, ciderae (Cyder, Apfelsaft) praecipue simul acescentium, aut acidulorum; defectus motus, studium a prandio, et habitacula humida (in domibus, aut regionibus depressis). *Causae excitantes proximae* sunt 1-o Urinae acidificatio major. 2-o Alcalescentia major. — Glutinis praesentia seu muci animalis varia proportio, varia qualitas ad calculi originem non facit, nec Arenae formam dirimit ab ea calculi. Mucus enim vesicae parietes internos semper obvestit; Arena aequa ratione, uti calculus, irritat vesicam, mucumque auget, hinc Arena interdum copioso muco permixta est. Videtur adeoque Arena urinalis oriri praecipitatione praecipite, copiosa, Calculus vero praecipitatione tardiore, progressiva.

§. 35. *Thérapia calculorum urinalium* reddit ad tria puncta: solutionem, contritionem, extractionem; subordinate ad methodos sex, quae executioni dantur:

1. *medice*: A. internis remediis, *lithontripticis* dictis,
2. — B. externis injectionibus,
3. — C. columna Voltajana;

4. chirurgice: contrito in vesica calculo, *lithotritia*, quam primus proposuit Gruithuisen 1813 Salzb. Zeitg. 1,289, procurarunt Leroy 1822, et Civiale 1823.
 5. — extractio e vesica per urethram, quam per saecula exercent Aegyptii, narrante Alpinio.
 6. extractio per operationem: *Cystotomiam* (perperam licet communiter lithotomiam dictam, quam tamen non chirurgi, sed lapicidae exercent). Methodus haec anceps non raro est impossibilis, saepe non indicata, certo non est radicalis! Magni tamen fit à chirurgis praestantibus, qui animum exercent heroicum in corpore aliorum.

Missis hoc locochirurgicis methodis medicas recensere intererit,

A. §. 36. *Remedia lithontripica* sunt, quae calculum urinalem in intestinis hominis vivi solvere dicuntur. Haec simul exhibita farraginem sistunt turpem, decerp tam e rudi illa, indigestaque mole, quam hactenus materiam medicam vocant. Varietas constitutionis chemicae calculorum urinalium, et forte adhuc major remediorum propositorum, cum effectu saepenullo observato, medicos in desperationem de possibilitate remedii deduxere. (Die Blasenstein sind so verschieden, daß ein allgemeines spezifisches Mittel gegen den schon gebildeten Blasenstein schlechterdings unter die unmöglichen Dinge gehört, — dicit Arnemann in Arzneimittelehre Ed. 2. p. 588). Verum quod magni progressus Chemiae circa calculos illustrarunt, idem etiam circa remedia specialia quibusvis convenientia fecere, et ars medica semitam hanc sequi debet — chemicam utique in re chemica. Quae per saecula empirice data, saepius reinventa et retentata, imo contradicentibus medicis methodicis nihilominus cum bono effectu data sunt, plurima parte erant remedia alcalina, rarius acida; haec per Chemiam recentiore primum aevo ortam, et gigantis instar super antiquiores scientias excrescentem dijudicata, et in series certas fidasque relata sunt. Scientia et ars medica aevi nostri hoc in objecto, calculi nempe urinalis, rei plane chemicae, Chemiam sequi debet, hanc strenuissime applicare debet: Ut agnoscat naturam calculi, ut huic cognitioni consequenter adhibeat remedium e serie conveniente deponendum: quandiu Uras adest, det alcalescentia, quandiu Phosphas evexitur, det acida: alterutro cessante cesseret a continuando remedio. — Quae per aevum sensim

inventa sunt remedia varia, haec Magendie novis et obser-
vatis et tentaminibus subjiciendo digessit, ita, ut jam cer-
to constet, vario calculo varia esse et debere esse remedia
solventia.

§. 37. Antiquissima sunt *remedia alcalina*. Haec Aci-
dum uricum (arenam uricam, calculum uricum) solvunt, et
decompositionem impediunt Uratis Ammonii (ad Gmelin),
Uratis Natri (ad Wetzlar).

Calcaria pura, Calx usta antiquissimis temporibus
adhibebatur contra calculum urinalem. Plinius 30, 21. (an-
tiquarum edit. c. 8.) refert: “testarum inanum cinerem
ad calcuIns pellendos,, adhiberi. Calcariam ustam adhi-
buit Fridericus Hoffmann (observationes et curat. pract. in
curatione calculi. Halis, 1721). Maximam famam adquisivit
Calx cum ab Angla Joanna Steffens iterum applicaretur.
Haec femina, e Berkshire orta, 1720 in serie formularum
medicarum a familia servatarum invenit lithontripticum e
testis ovorum in furno siccatis et pulveratis. Post aliquot
facta tentamina testas uistas invenit actuosiores; tardius ad-
didit cinerem herbarum, saponem alicantinum dato simul
potu decoctarum herbarum. Post annos praxeos felicioris
1735 Ed. Carteret remedium adhibuit, et attentione pub-
lica excitata annoque 1737 copiosis sanatis 1738 pro re-
demtione arcani feminae offerebantur quinque mille libra-
rum Sterling. Cum tamen haec a privatis non potuerit
colligi, Steffensia 1739 Parlamento arcanum obtulit, facta
praevie investigatione, redimendum. Adprobatione petiti
per Regem 1739 Junii 14-ta subscripta, 16-ta Junii exhi-
buit illa et remedium et rationem id parandi adhibendique
Archiepiscopo Cantabrigensi, qui methodum hanc medi-
corum, chirurgorum atque naturalis historiae cultorum ju-
dicio substravit. Facta nunc rei 19-a Junii in diurnalibus
publicatione, atque factis observatis comissarii de utilitate
atque virtute calculos solvendi constabilita 1740 Martii
5-ta adprobaramt remedium, in cuius testimonii sequelam
17 Martii quinque mille libras St. levavit Steffensia (quae
tamen nunquam inventionem sibi adscripsit). 1740 et 41
Chirurgus Galliae tunc celeberrimus Morand observationi-
bus illustravit (Mem. de l' Acad. de Paris) Exhibit autem
Steffensia testas ovorum uistas ad scrupulum unum usque tres
cum decocto unciae semis, unciae unius Saponis alicantini,

Saccharo addito; — aut Aquam Calcis in consortio pillularum Saponis. — Calcem tardius magnis extulit laudibus *Haen* (rat. med. 5 c. 5. p. 5.) et Robertus *Whytt* (essay on the virtues of lime in the cure of the stone Edinburgh 1755). Aquam Calcis in plurimis casibus multum alleviasse refert *Arnemann* (Arzneimitteltehrr), praecipue cum lacte datam, aut cum Sapone. Justam tamen non reticendam esse puto (nisi nimiam) Friderici Gmelin, assertionem cum calculo simul viscerum destruere fabricam. (in Lösecke mat. med. Ed. 7, p. 221.) — De Aquae Calcis injectione in vesicam alio dicetur capite: hanc primi tentarunt Angli *Lan-grish*, *Butter*, *Whytt*.

Calcarius suillus s. disodes (*calcarius carbonicus* bituminosus, (Stincstein) in doloribus ab urinali arena et calculo multum laudatus fuit in Svecia a Sam. *Liljeblad* (præs. J. Gust. Acrel usus lapidis suilli in lithiasi renali. Upsaliae 1793. 4.

Kali carbonicum s. Carbonas Potassae a medicis bene multis adhibebatur: grana decem in aqua soluta bis terve dietim, aut Olei Tartari per deliquium guttae triginta, aliquoties de die. Salem Tartari multum laudat William Adams (disquisition on the stone and gravel, and other diseases of the bladde and Kidney London 1774. Remedium empirici erat solutio Salis Tartari lotonum 4 1/2 in libra Aquae. Huc spectant olim laudata remedia: Sal Stippitum Fabarum, Ononis, Genistae. Kali carbonicum svadet Thilenius Bemerungen 1, 175. 1809.

Imo *Kali causticum* adhibere ausi dederunt Lixivium Saponiorum ex ana Potassae vulgaris et Calcis causticae cum aqua paratum. Hoc erat *Arcanum Turini et Chittiki* lithontripticum, cuius cochlearia duo, tria bis terve exhibuerunt in jure carnis, vel cum mucilaginosis (Sammlung für praktische Aerzte t. 7.) post cuius investigationem chemicam Baylie, potius esse putabat remedium e Soda cum testis ostrearum (ibidem, et Arnemann Arzneimittelschre Ed. 2. p. 588. Losecke p. 264. Blackrie Alexander disquisition on medicines, that dissolve the stone. London 1768). Ventriculum aggredi, et urinam saepe ciere sanguinolentam refert *Arnemann*.

Nutrum carbonicum seu Carbonas Sodaæ longe præstantius præ Kali carbonico, cum ob acidum carb. copiosi-

us contentum mitius sit, cum partem integrantem, plurimum obviam, corporis humani efficiat, quod etiam Natron in aquis alcalescentibus nobis offert, multi hinc et adhibuerunt et laudarunt: Blackrie 1761 Sodam cum pulvere Ostracodermatum, Donald Mouro in Materia medica 1788, William Falconer in Matthaei Dobson on fixed air, with an appendix on the use of the solution of fixed alkaline salts in the stone and gravel 1785. 8; Thomas Beddoes observations on the nature and cure of calculus 1793 pag. 10 adhibuit Sodam fatiscentem cum Sapone in pillulas redactam ad grana 20—40. Mascagni Memorie della societa italiana V. 11. N. 34. Magendie, sed omnium maxime, laudavit L. Leroy exposè des divers procedès employés, jusq' à ce jour, pour guérir de la pierre, sans avoir recours à l' operation de la taille Paris 1825. pag. 59. Italus Petrus Moscati calculo plurimos per annos laborans urinam saepissime investigavit per chartam Laemus, qua multum rufata illico Carbonatem Sodae ad drachmas assumxit, eo usque, donec rufatio Laemus nimia cessasset, et senissimus evasit.

Bicarbonus Natri aut Kali adhuc laudatior est, cum et mitior, effectum tamen praestet suum, et insuper Acidò carbonico eliberato irritabilitatem viarum urinalium coereat nimiam. Bicarbonatem Natri laudat Revue medicale 1826 Sept. p. 510. Forma antiquior et copiosius adhibita remedii hujus est *Aqua mephistica alcalina*, sive Liquor Carbonatis Natri aciduli, fäuersches Soda wasser. William Falconer (account of the efficacy of the aqua mephistica alcalina in calculous disorders London 1792) grana 30—60 Kali carbonici in medio sextario Aquae carbonicae solvi, atque mane et vesperi exhiberi curavit, quod remedium olim Colborne vocabatur et ab Arnemann laudatur, cum et a ventriculo hec perferatur, et diathesim calculosam susferat, calculum tamen plane formatum non solvere asserit idem.

Huc spectant constitutione chemica, et activitate medica *Aquæ minerales alcalinae* & *Aquæ natronatae*: sachtingenses laudabat Thilenius (Bemerkungen I, 175. anno 1809, geilnanenses cum adjecto Natro carb. Graese 1811; hic referenda extraneae selterranae, bilienses, nostras szatlatnyenses. Hoc tramite incedens svasit Prout parum Magnesiae carbonicae solvi in Aqua natronata, cum Aqua bilinensis ejusdem miscelae sit.

Imo etiam *Aquam fontanam* ad alcalescentia remedia referendam esse puto, cum omnis sere Calcariam in carbonicam vehat, ei saepe in sit Magnesia carbonica, et hungaricae plurimae insit insuper Natrum carbonicum. Ad rem medicam certo facit observatio Chemicorum Seheelii, Forberni, Bergmann, et recentior Fourcroyi atque Vauquelinii: calculos quosdam esse Aqua sola solubiles. Observatio medicorum, quod Aqua copiose pota juvet effectum lithontripicum exhibitorum vegetabilium remediorum. Est enim Aqua copiosior et diuretica, et solvens, et alcalium carbonicorum virtutem adjuvat, et horum virtute adjuvatur. Hinc Aquarum mineralum effectu in calculos facile perspiciemus. Howship penes usum mucilaginosorum (seminis lini, hordei) aquae simul copiosum svadet potum, pro excretione urinae augenda.

Ammonium causticum, vel *Carbonas Ammonii* melius est, si caetera Alcalia digestionem depressoerunt, praeципue, si sedimentum rubrum Urinae adest, si complicatio adest cum Arthritide, dum jam renes, jam articuli afficiuntur.

Magnesiam recentius adhiberi svatis Brande (philos. trans. 1810. 2, 136. n. 11. 6.), forma pulveris, solam aut cum gummosis, aut optime Acido carbonico ad Schweppe observata secundum praescriptum Brande solutam. Minus quidem activa est caeteris Alcalibus facilis tamen fertur, et speciatim indicata est, dum Kali aut Natrum copiose adhibita non feruntur, atque nauseam, pressionem ventriculi, et flatus causant. Magnesia vero incommodum grave causare vallet, cum in intestinis aggregatur in moles, hinc cum purgantibus alternativ exhibenda est; sed insuper multis in casibus magis nocet, quam Alcalia caetera, cum ex Urina Phosphate insolubilem, sedimentum nempe album, praecepit, et sic calculi incrementum rapidis passibus promoveat. Ure observatum grave medicis ob oculos habendum est. (Wörterbuch p. 284.): Aerzte und Patienten, die nichts von Chemie versiehen, sind oft in tödtliche Irrthümer gerathen, wenn sie den weissen Harngräss, der auf gereichte alkalische Mittel abging, für die Auflösung des Steines selbst hielten, und eifrig ein Verfahren fortsetzten, wodurch die Größe des Steines rasch vermehrt wurde. — Si adeoque Magnesiam in casu comparentis sedimenti urinae rubri dare placet, tunc ad ejus di-

sparitionem usus ejus aequa seponendus est; comparente enim urinae sedimento albo usus ejus jam est nimius.

Borax, sive Subboras Natri. Ob Natrum supersaturans contentum aequa ad seriem remediorum alcalinorum referri debet. Hujus usum svadet Wetzlar p. 78. cum (ob natrum supersaturans peculiaris reactionis — non causticae, verum mitissimae) bene feratur, et calculum uricum (comparante sedimento rubro) facillime solvat.

Sapo aequa Alcali contento agens, oleo insuper separato hypererethismum et statum non raro organorum affectorum inflammatorium in locis, (ubi decomponitur) minuit. Adhibuit ante Seculum Johanna Steffensia, recentius Thilenius (Bemerf. 1, 175).

Alcalia generatim adhiberi svasit Priestley (experiments and observations on air tomo 2, 1775) et Percival (essays tomo 1. 1797). Huc aliqui referunt Alcalia Acidis vegetabilibus saturata: Acetates, Citrates, Tartrates, cum ea digestionis functione in carbonica verti opinentur. Huc spectant Tartarus, Tartarus tartarisatus, boraxatus, Sal Seignetti, Acetas, aut Citras Kali, Natri, quae tam indolem Urinae mutando, quam humores aliorum derivando, et inflammatorium statum minuendo agere valent.

Post tot tamen, tantasque per Secula captas observationes, gravis adhuc Alcalium contra calculum adplicationem subversatur controversia, cum Chemici simul et Medici quidam de effectu Alcalium vel possibili dubitant, quam hic aequo dirimere animo studebo. Indubium est, atque omnium observatis constabilitum: Alcalia ventriculum gravare, digestionem laedere, tonum organorum minuere; utrumque Alcali (minerale, et vegetabile), graviter afficere ventriculum juste asserit Brande (philos. transact. 1810); digestionem his laedi, imo sanguinem cum urina excerni refert praestans Chirurgus Anglus Howship. p. 83. At his objici potest, non eos Alcalia mitia: carbonica nempe aut in statu dilutissimo, uti decet, adhibuisse. Nemo effectum nocivum illum observavit de aquis mineralibus alcalinis: natronatis, magnesiatis, cum hic alcalia tam carbonica, quam sufficienter diluta sint. Non id dictum est de Bicarbonate Kali vel Natri, non de Aqua mephitica alcalina; vix timendum a recenter proposito Borace, longe mitissimo. Hinc Argumentum esse videtur in Auctores rejiciendum! et talia dicentes

vix non temere egisse putabo! Possunt imo saepe debent Alcalia satis diluta, sufficienter mitia aliis neci remediis. Acutissimus Chemicus William Prout (1818) Alcalia numquam sola exhibuit, verum juncta alterantibus et purgantibus (pag. 123), imo amaris (non tamen et hic oblivioni danda est observatio medica: Amara quoque longuis adhibita digestionem laedere!) Certe simul cum usu Alcalium irritabilitatis saepe nimiae ratio est habenda: hinc cum Bicarbonate Kali, aut Natri bene hactenus egit Opium, bene Hyoscamus ad grana 5—6 imo Aconitum (Howship pag. 81 Seq.).

Sed gravissima restat quaestio: *an calculus urinalis in renibus aut vesica haerens Alcalibus dissolvi possit?* Calculum urinale formatum jam in vesica existentem, maiorem, quam ut per urethram excerni possit, amplius non posse resolvi asseverant, Brande, Home, Henry, Howship, qui addit: calculi friabilis per particulas diremptionem esse rarissimam, hinc non verisimilem — *Brande* (in phil. trans. 1808) ait: der Gedanke, einen Harnsauren Stein in der Blase durch innerlichen Gebrauch von Antzalien (!) aufzulösen, ist zu abgeschmackt, um ernstliche Widerlegung zu verdienen. Idem sentit *Home* (in phil. trans. act. anno eodem). *Brandei* verbis addit sua *Henry* (med. chir. trans. tomo 10): Alles entmuthigt von allen Versuchen, einen harnsteinsauren Blasenstein aufzulösen, nachdem er einmal eine beträchtliche Größe in der Blase erlangt hat. Alcalische Mittel scheinen nur ein Niederschlag von Phosphaten zu machen also eine Concretion, die nach allen praktischen Beobachtungen weit schneller anwächst, als Harnsäure allein. Bei solchen Todten fand man den Stein (nicht aufgelöst, sondern) eingesackt, oder durch die angeschwollene Prostata außerhalb dem Bereiche der Sonde. *John Howship* (Krankheiten der Harnwerkzeige pag. 67). In einigen Fällen sind Steinbeschwerden auf immer gehoben worden, durch Arzneien (besonders durch das Stellensische Losmittel) — welche die Kraft, einen Blasenstein zu lösen, hatten; und in der That waren die Beispiele ihrer Wirksamkeit in Beseitigung schmerzhafter Symptome so häufig, daß man ihnen unmöglich einen gewissen Grad von Achtung versagen konnte, — p. 68. Die Alcalien können oft (!) bis zu so einem Grade gegeben werden, daß der Urin deutlich alcalisch und fähig wird, eine besondere Kraft auf diese Concre-

mente zu äussern. — Aber selten (!) kann man sie so lange fortsetzen wegen der Störung, welche sie in den Verdauungswerkzeigen, bisweilen auch in den Harnwegen, erzeugen. pag. 83. Die Alkalien bewähren sich bisweilen nützlich, die Hestigkeit des Paroxysmus der Steinbeschwerde zu lindern. pag. 68. Sie verhindern die Erzeugung von Harnsäure, oder wenigstens die Absonderung derselben durch die Nieren; aber vorzüglich die Entwicklung der Harnsäure in den Nieren, und befähigen die Gereiztheit der Blase, gesezt sie wäre auch schon bis zu ihrer Entzündung vorgerückt. Addit tamen his effatis et observatis (vario loco, cum scita sua parum ordinate proferat!): sub usu Alcalium communiter cessare calculum ab actione in vesicam; hanc fieri laxam, mollem, majorem, atonicam; calculum non solvi, sed capsulae includi, hinc immobilem reddi (pag. 69, 72.) Theoriam addit: fibram animalem ab acidis cogi, ab alcalibus dissolvi, etiam coagulatum, hinc etiam fibras vesicae urinalis muscularis; ob digestionem laesam tardius exhibitis rorborantibus, stringentibus, vesicam contrahi, et in ea saceum persistentem causari.

Gravia haec contra usum lithontriptorum effata, aut observata nec plane admittenda, nec plane rejicienda esse puto. Objectio plurimorum: Alcalia ideo contra calculum, qua interna remedia, adhibita fuisse, cum observatum fuerit, concrementa urica Alcalibus solvi extra corpus (Howship pag. 82) falsa est. Pridem enim, et ante ullam calculorum cognitionem chemicam adhibebantur Alcalia, testante Plinio majorc, Frid. Hoffmann, et Steffensia; nec vilipendenda Medicis est observatio historica, remedia arcana, pluribus vicibus contra calculum adhiberi copta fuisse Alcalia! tandem observatio medica: Aquas minerales natronatas, magnesiatas profuisse in calculo (utique urico). — An Chemici Brände et Henry observata medica plurium Saeculorum sufferent? Fida talia referunt recentiores Falconer, Thilenius, Stiptian Luiscius, Mascagni. Celeber Italus Petrus Moscati comparente in urina acido urico copiosiore toties quoties Carbonate Natri utebatur, cum fructu eo, ut longaeior factus fuerit pluribus medicis. Acutissimus Anglorum Chemicus Henrique Wollaston, rationalis chemico-medicae calculorum Therapiae auctor 1797. Alcalia uricis calculis opponi svasit, prouti demonstravit calculo phos-

